Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

si in libris neotericis et recens scripti fraus heretica operata fuisset, que in quibusdam locis non timuisset incidere euangelicam veritatem. Ad diversum hec episcopi obstinatius renitentes pro potestate cogebant recta cum universa cum pravis et cum ipso auctore dampnare, quia satis superque sufficerent libri quos ecclesia recepisset; respuendam esse penitus lectionem, que plus esset nocitura insipientibus quam profutura sapientibus. Michi autem ex illius libris quedam curiosius indaganti admodum multa placuerunt, sed nonnulla reprehendi, in quibus illum prava sensisse non dubium est, que defensores eius falsata contendunt. Ego miror unum eundemque hominem tam diversum a se esse potuisse, ut in ea parte qua probatur neminem post apostolos habeat equalem, in ea vero qua iure reprehenditur nemo doceatur deformius errasse. Nam cum ab episcopis excerpta in libris illius multa legerentur que contra catholicam fidem scripta constarent, locus ille vel maximam parabat invidiam, in quo editum legebatur quia dominus Ihesus sicut pro redemptione hominis in carne venisset, crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis eternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus, quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret. Cum hec atque alia istiusmodi ab episcopis proderentur, ex studiis partium orta seditio est. Que cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset, sevo exemplo ad regendam ecclesie disciplinam prefectus assumitur. Cuius terrore dispersi fratres ac per diversas oras monachi fugati, ita ut propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permovebat quod Hieronimus vir maxime catholicus et sacre legis peritissimus Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem precipue et omnia illius scripta dampnaret. Nec vero ausus de quoquam temere iudicare; prestantissimi tamen viri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen sive illud error est, ut ego sentio, sive heresis, ut putatur, non solum reprimi non potuit multis animadversionibus sacerdotum, sed et nequaquam late se potuisset effundere, nisi contentione crevisset. Istiusmodi ergo perturbatione cum veni Alexandriam fluctuabat. Me quidem episcopus illius civitatis benigne admodum et melius quam opinabar excepit et secum tenere temptavit. Sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraterne cladis fervebat invidia. Nam et si fortassis videantur parere episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi confessione viventem presertim ab episcopis oportuisse affligi.

Ubi bethlehem oppidum petiit, cuius loci ecclesiam sanctus Ieronimus regebat.

IGITUR inde digressus bethleem oppidum petii, quod ab Hierosolimis sex milibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronimus presbiter regit. Nam parrochia est episcopi qui Hierosolimam tenet. Michi iam pridem Hieronimus superiore illa mea peregrinatione compertus facile obtinuerat ut nullum magis expetendum rectius arbitrarer. Vir enim preter fidei meritum dotemque virtutum non solum latinis atque grecis, sed et hebreis etiam ita litteris institutus est, ut se ei in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem si non vobis per multa que scripsit opera compertus est, cum per totum orbem legatur. Nobis vero, inquit Gallus, nimium nimiumque compertus est. Nam ante hoc quinquennium quendam eius libellum legi, in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo vehementissime verberatur et carpitur. Unde interdum bellicus noster valde irasci solet, quod dixerit usque ad vomitum nos solere satiari. Ego num inquam gallus. Illi vero ignosco, atque ista sentio de orientalibus illum potius monachis quam de occidentalibus disputasse. Nam edacitas in grecis gula est, in gallis natura. Tum ego scolastice, inquam, Galle, defendis gentem tuam. Sed queso te, liber iste numquid hoc solum vitium dampnat in monachis? Immo vero, inquit, nichil penitus omisit quod non carperet, laceraret, exponeret. Precipue avariciam nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit. Vere fatebor, pinxisse mihi videtur vitia multorum. Ceterum de familiaritatibus virginum et monachorum atque etiam clericorum quam vera quam fortia disputavit. Unde a quibusdam quos nominare nolo dicitur non amari. Nam bellicus noster irascitur edacitatis nimie nos notatos, ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt: celibem spernit virgo germanum, fratrem querit externum. Ad hec ego: nimium, inquam, Galle, progrederis. Cave ne te aliquis qui hec fortassis agnoscit exaudiat, teque una cum Ieronimo incipiat non amare. Nam quia scolasticus es, te versu comici illius ammonebo: Obsequium amicos, veritas odium parit. Tua nobis potius, ut cepas, Postumiane, repetatur orientalis oratio. Ego, inquit, ut dicere institueram, apud Ieronimum sex mensibus fui. Cui iugis adversus malos pugna perpetuumque certamen conscivit odia perditorum. Oderunt eum heretici, quia eos impugnare non desinit; oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum omnes boni et mirantur et diligunt. Nam qui eum hereticum esse arbitrantur insaniunt. Vere dixerim, catholica hominis scientia, sana doctrina est.